



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE
BOLLETTINO

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0343

Giovedì 21.06.2007

Sommario:

- ◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. RENATO RAFFAELE MARTINO IN OCCASIONE DEL 50° ANNIVERSARIO DI ORDINAZIONE SACERDOTALE**
- ◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. IVAN DIAS IN OCCASIONE DEL 25° ANNIVERSARIO DI ORDINAZIONE EPISCOPALE**

◆ **LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. RENATO RAFFAELE MARTINO IN OCCASIONE DEL 50° ANNIVERSARIO DI ORDINAZIONE SACERDOTALE**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. RENATO RAFFAELE MARTINO IN OCCASIONE DEL 50° ANNIVERSARIO DI ORDINAZIONE SACERDOTALE

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Santo Padre Benedetto XVI ha inviato all'Em.mo Card. Renato Raffaele Martino, in occasione del 50° anniversario della sua ordinazione sacerdotale:

● **LETTERA DEL SANTO PADRE**

Venerabili Fratri Nostro
RENATO RAPHAELI S.R.E. Cardinali **MARTINO**
Pontificii Consilii de Iustitia et Pace
necnon Pontificii Consilii de Spiritualibus Migrantibus
atque Itinerantium Cura Praesidi

Memoriam profecto te, Venerabilis Frater Noster, deponere minime arbitramur illius felicissimi diei, cum sacro ordine auctus, peculiari modo ad apostolicum opus es destinatus Ipsius Domini suasu inductuque. Eventus hic mox periculosa recordatione revocabitur, quandoquidem attinget insignem quidem metam quinquagesimum scilicet annum, longo videlicet sacri ministerii spatio emenso ipsoque probandis operibus locupletato.

Nemo profecto non novit singularem qua ditaris doctrinam, quam assidua studia, in iuridicales potissimum res versa, iuverunt atque auxerunt itemque in fidelium beneficium redundarunt, cum Apostolicae Sedis publicis negotiis ac Secretariae Status operam tuam dare coepisti. Archiepiscopali ordinatione recolendae memoriae Augustini S.R.E. Cardinalis Casaroli, tunc Secretarii Status, per manus recepta, maioris momenti officia gerere incohasti, quae, ad ampliorem provinciam attinentia, catholicae Ecclesiae recta praecepta monitaque tuerentur.

Passim ideo in orbe terrarum reperiuntur actuositatis tuae documenta et testificationes, cum fidelibus colendis et hominibus cunctis laboribus tuis usque fideliter inservires. Id complures Apostolicae Sedis legationes variis in terrarum locis demonstrant, id significant multae apud Nationum Unitarum Institutum actae procuraciones. Cum igitur et mutuas inter gentes necessitudines et pacem provehere studeres, latam tibi aestimationem amplosque honores conciliasti.

Bene porro te de Ecclesia merentem reperiens, libenter in Purpuratorum Patrum ordini ascripsit veneratus Decessor Noster Ioannes Paulus II, qui, tuam agnoscens praestantiam simulque permagni tuam existimans industriam, antea Pontificium Consilium de Iustitia et Pace tuae curae demandaverat, quemadmodum fecimus nuper et Nos te etiam Pontificio Consilio de Spirituali Migrantium atque Itinerantium Cura praeesse volentes.

Nihil singula numerare opus esse pluribus verbis arbitramur ut tibi comprobationem Nostram atque pergratum animum significemus, quem eundem potissimum confirmare cupimus cum incidet sacerdotalis tua haec honorifica commemoratio. Tibi itaque Nos Ipsi nominatim, Venerabilis Frater Noster, Apostolicam Benedictionem Nostram singulari cum animi affectione addicimus, largiter universis qui necessitudinis vinculo tecum obstringuntur cumulate prolixèque ipsam adscribendam.

Ex Aedibus Vaticanis, die XX mensis Maii, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

[00932-07.02] [Testo originale: Latino]

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'EM.MO CARD. IVAN DIAS IN OCCASIONE DEL 25° ANNIVERSARIO DI ORDINAZIONE EPISCOPALE

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Papa ha inviato all'Em.mo Card. Ivan Dias in occasione del 25° anniversario di Ordinazione episcopale:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
IVANO S.R.E. CARDINALI DIAS
 Praefecto Congregationis pro Gentium Evangelizatione

Dignum sane et iustum est, Venerabilis Frater Noster, Nos te cogitare laudibusque Nostris honestare, occurrente faustissimo Episcopatus tui argenteo iubilaeo.

Copiosius Dominus variis te cumulavit donis: quae tu grato et conscio animo assidue evolvisi et libenter impendisti in Regni Dei famulatum. Itaque presbyter factus es nativae archidioecesis Bombayensis et statim sacerdotalibus coepisti fungi muneribus. Sed post breve tempus Romam petivisti ad altiora studia perficienda. Quibus expletis, anno MCMLXIV vocatus es ad diplomaticum apud Apostolicam Sedem servitium praestandum. Initio operam dedisti ad praeparandam visitationem Pauli VI in urbe Bombayensi occasione data Congressus Eucharistici Internationalis. Postea diligenter munus implevisti Secretarii Nuntiaturae Apostolicae variis in Nationibus. Anno MCMLXXIII Romam revocatus, decem fere per annos actuose operam navasti apud

Secretariam Status.

Dotes tuas inspiciens tuumque in Ecclesiam amorem fideleque ministerium, Decessor Noster venerandae memoriae Ioannes Paulus II anno MCMLXXXII censuit te ad maiora promovendum esse munia, te constituens Pronuntium Apostolicum in Gana, Togo et Benino simulque Archiepiscopum titulo Rusubisiritanum. Demum Legationi Apostolicae praefuisti apud Coream Meridianam, ac denique in Albania, ubi naviter es auxiliatus ad fidem catholicam restaurandam atque anno MCMXCIII ipsum Summum Pontificem magna cum laetitia et animi commotione suscepisti.

Quandoquidem opera antea tibi commissa optime es exsecutus, nominatus es Archiepiscopus Metropolita Bombayensis et anno MMI, magno cum gaudio tui populi, annumeratus es inter Catholicae Ecclesiae Cardinales. Pastor sollicitus et fidelis, gregem tuum sana aluisti doctrina novamque promovisti evangelizationem. Fiduciam ergo in te positam et numquam deceptam quasi confirmantes, postquam ad grave officium Petrinum divino nutu sumus eveci, Nosmet Ipsi superiore anno te Romanam in urbem revocavimus et Congregationi pro Gentium Evangelizatione praeposuimus.

Ceterum, quis narrare potest cuncta munera quae in bonum Ecclesiae universalis et in utilitatem Nationis tuae apte obiisti! In omnibus autem non tua merita, sed Christi agnoscens gratiam gratumque animum Illi significans pro his viginti quinque annis tui episcopalis ministerii, toto corde una cum Psalmista nunc repetere potes: *Haec est dies, quam fecit Dominus: exultemus et laetemur in ea (Ps 118,24)*.

Scias ergo Nos die undevicesimo proximi mensis Iunii te precibus Nostris memoraturos tibi per intercessionem sanctae Dei Genetricis et beatae Teresiae Calcuttensis plurima exoptaturos Spiritus Sancti dona et suavissimam consolationem. Nunc autem accipe, Venerabilis Frater Noster, hoc fraternae caritatis et aestimationis documentum atque Benedictionem Nostram Apostolicam, pignus caelestis copiosaeque remunerationis, quam tibi in primis, deinde omnibus tecum caritate coniunctis peramanter impertimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIX mensis Maii, anno MMVII, Pontificatus Nostri tertio.

BENEDICTUS PP. XVI

[00933-07.02] [Testo originale: Latino]

[B0343-XX.01]
